

nium ore pervulgatam, ut ostendimus, exhibet propheta ut *argumentum*, *pignus* et *arrhabonem* certitudinis promissae imminentis liberationis, non vero tanquam *portentum* mox subsequendum ac praecedens ipsam liberationem, quod nusquam ex contextu apparet. Hinc nihil refert sive citius sive serius prodigiosa Messiae nativitas eventura esset; satis enim erat ad Isaiae scopum non interitum nec subversum penitus in Judaicam rempublicam ante ejusmodi eventum, quo propheta Judaeorum animos afflictos mœrentesque recrearet.

Ad 2. N. Etenim, ut modo dictum est, agebatur de signo rememorativo, ut vocant, expectationis quae secum ferebat promissam liberationem, quodque tum in memoriam revocabatur, tum nova promissione confirmabatur.

Ad 3. Tr. et N. Sequelam; etenim etsi nihil novi intulerit Isaías nihilo secius in ejus oraculo tum prophetia tum signum continebatur. Vaticinium est quaelibet divinitus communicata notitia de rebus futuris, nec interest utrum hæc jam nota fuerint nec ne, alioquin concideret magna vaticiniorum praesertim messianorum pars; signum vero est quidquid inservit ad hoc ut fides de futuro eventu firmitur. Utroque hoc modo inserviebat promissio Messiae non tantum in memoriam revocata sed denuo divina confirmata auctoritate saltem quoad illam populi partem, quae prophetam ut divinum legatum habebat, ad quam praecipue hic sermo dirigitur.

Ad 4. D. Ita tamen ut idoneum esset ad populi animum erigendum a proxima quam metuebat interneccione, C. secus N. Utique hoc motivum generale esse debuit; et sicut propheta vv. praecedentibus priusquam annuntiaret liberationem a praesenti discrimine, occurrit timori de totali excidio secum ducens filium suum Jasub, quin tamen excluderet temporariam incolarum abductionem, ita et animos parat ad nuntium (v. 15. 16.) de proxima ex instanti periculo liberatione, ostendendo inanem esse de pleno interitu timorem; populus namque, cui quamvis remote futurus liberator divinus est

Neque senior factus sententiam mutavit, sed quasi ipsum poenituerit eorum, quae h. l. scripserat de Isaiae vaticinio, in novissima quam dedit scholiorum suorum editione an. 1835. in medium profert, quin ea improbet, verba Luzzati profess. in collegio Rabinico patavino, quae ita se habent: «Quant au mot *almah*, je le prends comme dans la cantique 7. 8. une maîtresse, une favorite du Roi, qui n'était pas sa femme légitime. Je ne sais pas quels caractères distinguaient une *almah* d'une *pilegesch* (a *pellice*). Cependant ce texte de la cantique suppose sans doute, que ce fussent deux conditions différentes » (Rosenmüller schol. in V. T. tom. II. p. VIII). Debuisset saltem perpendere ea, quae de hac voce egregie adnotaverat in illustratione nostri vaticinii Isaiae cl. Drach in cit. epist. ad suos contribules data an. 1835.

Hæc admonere volumus, quia hic Auctor eo periculosior est, quo ad incautos fallendos hoc illic boni aliquid interseruerit, ut sic facilius venenum propinet. Ceterum nec latum unguem a rationalistarum placitis discessit, ut ex iis, quae suis locis reputavimus, planum fit.

mittendus, etiam in praesentiarum singulari Dei providentia perficitur (a).

III. Obj. Conceptus biblicus signi *oth*, alias usitatus in messiana ejusmodi explicatione omnino negligitur; 1. nam juxta eam signum *oth* referretur ad eventum futurum; at ex usu loquendi signum *oth* est eventus praedictus, qui cum adimpletus jam fuerit, certitudinem praebet de adimplendo futuro eventu posteriori. 2. Insuper splendido adeo nuntio minime conveniunt descriptiones infortunii quas subdit ibid. Isaías v. 7. seqq. 3. Praeterea narratio c. VIII. adeo similis est ei quae exhibetur c. VII. 14. seq. ut vix credas hic messianam explicationem convenire posse, si illic locum non habeat (non haberi autem c. VIII. omnes fatentur); nomen enim et nativitas pueri in utroque capite pro signo exhibentur liberationis a dominio syrorum; porro si c. VIII. mater illa pueri et puer ipse non sunt nisi uxor prophetae et ejus filius, eadem profecto in c. VII. adhibenda est explicatio. 4. Et sane de filio prophetae VII. 14. seqq. sermonem esse declarat aperte ipse Isaías VIII. 17. dicens: «Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel». 5. Concludendum est igitur signum de quo Isaías loquitur, VII. 14., esse filium nasciturum ex uxore quam ipse propheta virginem post priorem jam defunctam duxerat (b): vel si magis placet cum antiquis Hebraeis, esse filium Achaz, nempe Ezechiam; vel dicendum loqui Isaíam de ideali, aut possibili aliqua virgine, quae concepto semine paritura esset filium, qui lacte et melle esset nutriendus, cum campi inculti denique dijacerent. Non alia propterea ratione ad Christum referri potest ejusmodi oraculum, nisi quatenus instans eventus quem proxime propheta respexit fuit signum et figura Christi nascituri, quapropter, Deo dirigente, iis utitur phrasibus loquens de puero mox nascituro, quae multo rectius Christo conveniunt, quam puero illi in quem nonnisi sensu valde improprio quadrabant (c). Ergo.

R. N. A. Ad 1. prob. N. ut patet ex Exod. III. 2. et Is. XXXVII. 30. ubi missio Mosis divina, et excidium regno judaico frustra ab assyriis intentatum ut signa adstruuntur quae utrumque eventum subsequerentur. Huc accedit, quod eventus futurus, cui innititur certitudo eventus imminentis, hoc in loco, apud populum omnino firmissimum esset (quod tamen non accidit Exod. III. 2. Is. XXXVII. 30), ita ut aequè valeret pro testimonio appellatio ad illum futurum eventum, ac ad signum eorum patrum (d).

(a) Cf. Hengstenberg. l. c. p. 79.

(b) Nempe Gesenius hic supponit priorem prophetam uxorem mortuam esse, aliamque virginem ipsi fuisse desponsatam.

(c) Hæc posterior expositio jamdiu excogitata fuerat ab anonymo, de quo S. Hieronymus scribit: «Quidam de nostris Isaíam prophetam duos filios habuisse contendit, Jasub et Emmanuel: Emmanuel de prophetissa uxore ejus esse generatum, in typum Domini Salvatoris». Comment. in Is. lib. III. ed. Vall. p. III. Eandem postea adoptavit Erotius, Richardus Simon, Clericus alique.

(d) Ut observat ipse Rosenmüller in h. l. saepe

Ad 2. D. Nisi ita ferret consueta prophetarum agendi ratio, Tr. secus N. Cf. porro capp. Is. IV. IX. XI., tum Mich. capp. II. V. etc., ubi inveniuntur hujusmodi abruptae transitiones.

Ad 3. N. Imo contrarium potius evincit hæc ipsa prophetae agendi ratio; inverisimile enim est, prophetam dedisse duobus filiis suis nomina symbolica, quae ad idem prorsus objectum referrentur. Ast in expositione de Messia recte res procedit, si signo invisibili et in promissis tantum posito visibile aliquid ac praesens adjungeretur. Item narratio ipsa discrimen ostendit quod intercedit inter ea, quae in utroque capite proponuntur; etenim c. VII. mater pueri vocatur *almah*, quo nomine puella inuupta seu virgo tantum designari patet ex dictis c. vero VIII. vocatur *neviah*, *prophetissa* seu uxor prophetae; c. VIII. nuncium tantum pueri nascituri habetur, ast c. VIII. fusior narratio cum apparatu testium, instrumenti etc.; c. VII. mater nomen dat filio (a), c. autem VIII. 3. nomen imponit pater. Constat igitur in c. VIII. confirmari promissum factum cap. praecedenti novo signo a priori omnino diverso (b).

Ad 4. N. Alioquin filius prophetae, nempe Emmanuel dominus Judaeae foret (VIII. 8.), quod falsum esse nemo non videt. Itaque filii Isaiae dati in signum, sunt *Schear-Jaschub* vatis filius natu major VII. 3. et natu minor *Maherschalal-Chaschbaz* VIII. 3. ob ipsorum symbolica nomina; nomen enim prioris filii convertendas esse denotat populi reliquias; posterioris filii vero nomine brevi liberandam esse Judaeam a duobus regibus hostilibus indicatur (c).

Ad 5. N. Nam ut ex tota orationis serie patet, praesertim vero v. 11. agitur in nostro vaticinio de signo ex quo manifeste cognosci possit adesse Dei numen seu protectionem, ratumque haberi vatis effectum, ut infra XXXVIII. 7. Exod. III. 12. I Reg. II. 54. IV. Reg. XIX. 29. ideoque exhiberi rem inauditam, mirandam, insolitam, uti vis latinae vocis signi postulat, de *portento*, *prodigio* (d). Jamvero quodnam signum, portenta-

majoris et illustrioris beneficii promissione confirmatur levioris beneficii promissum, et tunc signum idem valet ac *argumentum*; ut patet ex cit. exemplis.

(a) Etenim in hebr. textu legitur et *vocabit* (virgo) nomen ejus, etc.; nomina revera filiis imponere solebant matres, veluti Eva, Genes. IV. 1. 25. filiae Loth Genes. XIX. 37. seqq. Lia Gen. XXIX. 32. XXX. 18. seqq. Rachel c. cit. 21.

(b) Cf. Rosenmüller ad c. VIII. v. 1.

(c) Hinc S. Hieronymus in Comm. ita sensum prophetae enarrat: «Expectabo Dominum meum, et non solum ego, sed et pueri, quos mihi dedit Dominus, alii videlicet prophetae, et filii prophetarum, qui non ex voluntate carnis et sanguinis, sed ex Deo nati sunt. De quibus et Apostolus (Galat. IV. 19.) loquebatur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*. Isti autem pueri, id est, prophetae in signa dati sunt et in portenta Israeli, juxta illud, quod in Ezechiele (XXIV. 24.) legitur: *et erit Ezechiel vobis in signum*. In Zacharia quoque (III. 8.) sancti viri, prophetarumque discipuli *τεταρονόμοι*, id est, portentorum signorumque spectatores appellantur, eo quod semper prophetae in signum praecesserint futurorum» p. 125. ed. c.

(d) Dixerat enim Isaías regi Achaz v. 11. «Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni,

tum, prodigium esset in eo quod virgo suscepto semine aliarum more conciperet et pareret (a)? Addatur hebraicam lectionem ejusmodi expositionem excludere, cum habeat: «Ecce virgo illa *concipiens et pariens* (b), quae indicant virginem illibata virginitate *concipientem et parientem*; gratuita praeterea esse suppositionem de nova uxore a propheta ducta vel ducenda, nec filium prophetae exliberi posse, ut dominum regionis Palaestinae, cujusmodi esse perhibetur Emmanuel ex superius dictis, nec alii cuiquam posse aptari quae de eodem puero praedicantur c. IX. 5. 6. XI. 1. seqq. ipsa rei natura clamat.

Ex his praeterea plane concidunt omnes illae violentae et gratuita expositiones, quibus interpretes anti-messiani mire se torquent ad inveniendum istud signum, seu prodigium sive in uxore prophetae, sive in uxore Achaz, sive in virgine ideali et possibili; ut omnittam uxorem Achaz virginem non fuisse, et Ezechiam novem annos natum fuisse, non hoc vaticinium editum est (c). Alia vero ejusmodi, quae liberiores hi homines commenti sunt, quae nec referre vacat omnino ab ipsis vaticinii verbis excluduntur.

Concidit pariter aliorum expositio de sensu figurato, seu duplici sensu proximo et remoto; hæc enim expositio ferme nata est ex apparentibus difficultatibus messianæ explicationi inhaerentibus et ex impotentia eas solvendi, atque ex desiderio simul Matthæi auctoritatem tuendi. Porro si vere et proprie adimpletum est Isaiae oraculum tempore Achaz, nulla jam ratio habetur supponendi in textu illo sublimiorem relationem ad Messiam, imo omnis similitudo penitus evanescit. Nam verba in utraque explicatione diverso omnino sensu sumuntur. In expositione enim messiana *עלמה* est virgo, quae post conceptum talis persive in excelsum supra; seu ut exponit S. Hier. «Vis, inquit (propheta), ut scindatur terra, et grandi hietu inferi pateant, qui in corde terræ esse dicuntur, an ut aperiantur caeli»? l. c. p. 106. Cf. Drach Epist. cit. p. 84. seqq.

(a) «Nisi enim partum miraculosum intelligas, apposite scribit Rosenmüller; quem Deus ipse signum non interitura domus Davidica constituat, nemo dixerit, quid illud sit in hac prophetia, quod sustineat locum et vicem signi. Par est credere, prophetam hac voce eodem sensu uti, quo eam usurpaverat v. 11. ubi manifeste sumitur de signo aliquo prodigiali, non memoriali, sive verbali, vel qualicumque alio. Quis vero signi prodigialis, aut miraculi loco habeat, si ex congressu viri evadit gravida, quae virgo esse desit? » Hoc ipsum argumentum jam urgebant patres antiquissimi adversus Hebraeos ut Tertullianus adv. Judaeos c. IX. «Signum autem a Deo, nisi novitas aliqua monstrosa fuisset, signum non videretur... Nihil signi videri possit res quotidiana, juvenulae scilicet praegnatae et partus». Cf. Irenaeum c. Haeres. I. III. c. XXI. n. 6. Justinum in Dial. cum Tryph. n. 81. Theodoretum Comment. in h. l. Hieronymum l. cit. Quare interpretes non messiani, qui *almah* de *nupta femina* exponunt, hic haerent, nec quomodo sese expediant, facile inveniunt.

(b) Nam in hebr. textu duobus participiis dicitur *concipiens et pariens*, seu ut exponit R. David Kimchi: «Ipsa (virgo) est actualiter concipiens et actualiter pariens» vel etiam ut addit R. Salomon Jarchi: «Participium praesens *harach* habet significationem futuram: Ipsa erit actu concipiens» Cf. Drach. p. 89 seq. (c) Cf. Rosenmüller. l. c.

manet; in non-messiana vero aliqua est, quæ virgo quondam fuit, sed talis postea esse desiit; in priori, Emmanuel est *Nobiscum Deus*; in posteriori est *divinum auxilium*. Si ergo hanc adversariorum expositionis partem tenemus, nullam amplius habemus ad tempus Messiae applicationem, sensus verborum est prorsus exhaustus, nec nota remanet aliqua, quæ ad Messiam quoquomodo alludat (a).

IV. Obj. Non defuerunt, recentiore potissimum ætate, qui conceptionem illam miraculosam testimoniis satis idoneis confirmari negarent, rationibus usi criticis, exegeticis et historicis. Monuerunt *primum* critici homines, priora duo capita Evangelii secundum Matthæum in archetypo hujus Evangelii aramæo, Epiphonio teste (b), sicut in Tatiani Evangelio nondum adfuisse, itemque Marcionis Evangelium, quod, si non e Luca Evangelio decerptum, tamen ejusdem simillimum fuisse videtur, nec initium nec finem hujus habuisse (c). 2. Verum gravioribus premuntur difficultatibus *exegeticis*, oriundis præcipue ex dissensu manifesto ipsius argumenti, maximeque duplicis genealogiæ Josephi, qui tamen pater Jesu fuisse negatur, a Matthæo I. 1. seqq. et Luca III. 23. seqq. exhibitæ. 3. *Accedit*, quod neque Jesus unquam, neque Joannes, qui quidem certissimam hujus rei notitiam afferre poterat (Jo. XIX. 27.), neque alius Apostolus ad originem illam miraculosam provocavit. 4. Imo Maria Josephum patrem Jesu appellavit (Luc. II. 48.), quod Jesus quoque data opportunitate minime denegavit (Jo. VII. 27.), et Paulus ipsum *ex semine David* genitum esse diserte affirmat Rom. I. 5., II. Tim. II. 8. collat. Rom. IX. 5. Gal. IV. 4. 29. Adde 5. quod fratres ejus ipsi fidem non habuerunt (Jo. VII. 3. seqq.), et comite ipsa matre, Jesum aliquando, tanquam mentis non compotem,prehendendum curarunt (Marc. III. 21. 31.). Deinde 6. effatis Angeli, ad vulgarem Judæorum opinionem accomodatam, de Jesu thronum Davidis occupaturo (Luc. I. 32.), neque Jesu ipsius consilium (Luc. XVIII. 20. 21. Jo. XVIII. 36.), neque eventus unquam respondit. 7. Quod si vero *historiæ* luce narrationes istæ collustrate fuerint, dubitare non licet, quin jam prioribus seculis plures extiterint, qui præcæntibus Cerintho, Carpocrate, ebionitis aliisque, Jesum Josephi filium fuisse contenderent, et quin apud omnes fere populos incultiores (quippe qui humana miscendo divinis primordia civitatum vel religionum augustiora facere, ideoque fata resque gestas virorum insignium ad numinis auxilium referre conati sint), similia de incarnationibus deorum et de nominibus a natura quadam cælesti progenitis reperiantur com-

(a) Cf. Hengstenberg I. c. p. 90. seqq. ubi refellit etiam Isenbiehl, qui quamvis catholicus eam interpretationem vaticinii hujus amplexus est, quam postea Gesenius suam fecit, nec veritus est de filio prophætæ hoc oraculum exponere; a Pio VI propterea damnatus, ab episcopo suo in carcerem conjectus est, donec ad samora consilia se recipiens, suam expositionem retractavit.

(b) Hæres. XXX.

(c) Iren. adv. Hæres. L. I. c. XXIX.

menta. Ita Wegscheider (a), qui inde concludit tum Christi primordia inter mythos esse referenda, tum universalem illam sententiam, quæ apud omnes fere populos viguit, qualis et in Christo Jesu reperitur, eminentiori quodam sensu esse accipiendam de eo quod Deo probatum eoque dignum est, ab eoque repetimus auctore ac moderatore sapientissimo.

R. D. A. Non defuerunt recentiore ætate, qui protestantismi progressus seculi eo impietatis delapsi sunt, ut omnem respientes divinarum scripturarum inspirationem et veritatem, quique omnibus reclamantibus hermeneuticæ, exegeseos et historiæ principis, pro lubito religionem omnem sus devertant C. qui omnem adhuc pudorem non amiserint, et in rationalismum nondum deflexerint N. Hæc enim pessima rationalismi labes protestantismi principio accepta referri debet cui reservatum erat christianam religionem e fundamentis convellere, si tamen fieri potest, causam suam protegente Deo.

Ad 1. D. Monuerunt pseudo critici ex systemate arbitrario imo et falso, C. veri nominis critici et aliquo fundamento ducti N. Nam 1. arbitrarium est systema de quodam communi archetypo Evangelio aramæo, seu syrochaldaico ex quo suas narrationes hauserint tres Evangeliste Matthæus, Marcus et Lucas a nonnullis divina excogitatum sine ullo vel levi fundamento atque ab ipsis non paucis recentioribus biblicis repudiatum (b). 2. S. Epiphonius loquitur I. c. de Evangelio hebraico S. Matthæi quo utebantur ebionitæ ab ipsis conciso et depravato (c); sane n. 14. refert ibid. s. Epiphonius a cerinthianis integrum hoc ipsum Evangelium cum duobus prioribus capitibus ac propterea cum genealogia fuisse retentum; in hypothesi propterea adversarii de archetypo aramæo, mendacii ipse convincitur dum asserit Epiphonio teste his capitibus archetypum destitutum fuisse (d); id ipsum dicatur de nazaraïs qui

(a) §. 125.

(b) Hoc systema de communi Evangelistarum fonte in archetypo aramæo, sive syrochaldaico primus insinuavit Clericus Hist. eccl. duor. prim. sæcul. Amstel. 1716. confirmavit Semlerus ad *Towson Abhandlungen über die vier Evangelien* seu: Tractatus in quatuor evangelia P. I. p. 221-290. Lessingius *theolog. Nachlass* p. 45. seqq. Niemeverus *Conjecturæ ad illustrandum plurimorum N. T. scriptorum silentium de primordiis vitæ J. C.* Hale 1790, Paulus *Introductio in N. T. capita selectiora* Ienæ 1799. Illud demum vario modo exornarunt Eichhorn in *Allgem. Biblioth. der. bibl. Litterat.* seu: Bibliotheca universalis litteraturæ biblicæ. Marsh Anmerk. u. Zusätze etc. Notæ et appendices Gratz *Neuer Versuch* etc. id est *Novum testament.* etc. Bertholdt *Th. Einleit.* Introductio theologica, postremo vero Kuinoel in proleg. ad Comm. in libros hist. N. T. pag. XVI. seqq. secutus Marshion et Eichhornium. Verum nondum convenit inter ipsos quid sit ejusmodi archetypum, num unum idemque cum evangelio quod inscriptum erat *secundum Hebræos*, an diversum etc. Hanc opinionem evertit Rosenmüller senior Schol. in N. T. argumentis internis et externis; et ejusmodi archetypum merito vocat *fictitium*, quod nemo veterum novit et vidit. Cf. tom. I. ed. sexta p. 5. seqq.

(c) N. 15.

(d) Scribit enim: Cerinthus enim et Carpocrates

ebionitis aut anteriores fuerunt, aut coævi, quique ipso Epiphonio testante hæresi XXIX. n. 9. eodem Evangelio integro utebantur (a). Si mentitus pariter est Wegscheider dum scribit a Tatiani Evangelio duo priora Matthæi capita abfuisse. Etenim ut ex Theodoro discimus Hæret. fabul. I. I. c. XX. non amputaverat ille nisi genealogias et alia omnia quæ Dominum ex semine David secundum carnem natum ostendunt. Reliqua retinuit, ita ut non advertentes fraudem plures catholici decepti fuerint, eodem auctore teste. Si quid igitur evincit illa amputatio Tatiani, probat præcise quod nollet adversarius, nempe *Jesum non esse ex Joseph progenitum*. Et sic rursus mentita est iniquitas sibi.

Marcion utique s. Luca Evangelium *decurtatum* exhibet, ut veteres loquuntur Irenæus lib. III. c. XIV. n. 4., Tertullianus tum lib. I. adversus eundem c. II. tum lib. IV. c. VI., Epiphonius Hæret. XLII. n. 11.; at sero nimis prodiit sacrilegus hic Evangeliorum mutilator; jam enim apud omnes ecclesias integrum Evangelium extabat, iisdem testibus, cum Marcion sacrilegum facinus aggressus est; hinc Tertullianus Marcionem provocat ad codices, qui apud ecclesias Marcione vetustiores asservabantur, imo ad communem consensum, et publicum testimonium (b). Quid igitur evincit hæc Marcionis Evangeliorum corrosio? Lex critica est, cum aliqua clausula vel redundat vel desideratur in eorum codicibus, quorum partibus aut favet aut adversatur, ab iis eam additam vel detractam censi, qui tempore sunt posteriores, auctoritate minores, et quorum causa iis additionibus vel detractationibus juvatur. Judicet nunc Wegscheider quid de suis criticis censendum sit, ac de eorum monito.

Ad 2. N. Graviore enim dici nequeunt difficultates exegeticæ, si critica, ut vidimus, nullæ sunt. Nego præterea ejusmodi exegeticas difficultates oriundas esse *ex manifesto dissensu ipsius argumenti*. Quare saltem ipse non innuit in quo iste manifestus dissensus positus sit? Uterque Evangelista Christum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine conceptum et natum docet, uterque vel expresse vel tacite provocat ad Isaia vaticinium, uterque cum natum in Bethlehem refert. In quo igitur est *manifestus dissensus argumenti*?

Sed neque obstant hinc genealogiæ, quas ambas Josephi esse pro certo sumit adversarius, nec pauci

codem Matthæi, ut quidam volunt, Evangelio freti, ex ejus initio Christique genealogia probare nituntur, Christum e Josephi et Mariæ semine esse procreatum.

(a) Est vero penes illos (Nazaraeos) Evangelium secundum Matthæum, hebraice scriptum, et quidem absolutissimum. Hoc enim certissime, prout hebraici litteris *initio scriptum est*, in hodiernum tempus usque conservant.

(b) Cf. lib. IV. cont. Marc. c. V. et in lib. de præscript. c. XXXVI. Cf. I. D. Michaelis *introduction au Nouveau Testament* trad. par I. I. Chenevière, Genève 1822. t. I. chap. II. sect. VII. circa finem, ubi ostendit ejusmodi hæreticorum interpolationes novum argumentum præbere de *authenticâ* librorum N. T.

tamen nec infimi subsellii interpretes negant (a). Verum et hoc transmissio, prorsus inficior quod ipse deducere inde contendit; dissensus enim genealogiarum, etiamsi supponerentur adesse quod minime fatemur, non evincit Christum esse filium naturalem Josephi. Hoc autem ut pateat, satis est in medium afferre ejus argumentum; genealogiæ Josephi dissentiant inter se: ergo Jesus est filius naturalis Josephi. Præclara dialectica. Præterea juxta adversarium in Evangelio seu Diatesseron Tatiani, et in Evangelio archetypo aramæo, in Marcionis utraque hæc genealogia desiderabatur, dein vero addita est; nullam igitur earum dissensus ad probandum vim habet. Nempe, mendacem oportet esse memorem. Qua vero ratione bene inter se componantur hæc genealogiæ docent interpretes (b).

Ad 3. D. Quia Joannis consilium id non ferebat, C. quia aliter ipse sensit N. Joannis consilium, ut alias animadvertimus, potissimum fuit supplere ceteris Evangelistis, et ea fusius prosequi quæ spectant ad Christi divinitatem adstruendam. Hinc cum Matthæus ac Lucas abunde quæ ad prodigiosam Christi humanitatis conceptionem spectant, retulerint, hæc prætermittit, Joannes solam æternam ejusdem generationem exponit. Adde Joannem, ut communi consensu veteres tradunt, Clemens alex. (c), Eusebius (d), Hieronymus (e), Epiphonius (f) tria priora Evangelia, quæ in omnium jam erant notitia, legisse et probasse, et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse, antequam manum appulisset ad suum Evangelium exarandum. Quid si Joannes, imo et Christus ipse aperte id ipsum tradidissent, numquid iis fidem adhiberent rationalistæ? Nihil minus, prout vidimus eos sese gessisse cum ageretur de divinitate

(a) Non pauci ex recentioribus præsertim interpretibus sive catholicis sive potissimum protestantibus longe probabilius esse censent Matthæum texuisse genealogiam Josephi, Lucam vero genealogiam B. Virginis. Longum esset nimis velle istorum omnium catalogum exhibere. Satis itaque sit auctorem adversarii non suspectum adducere, nempe Georg. Rosenmüllerum. Hic igitur schol. in Matth. c. I. v. 17. scribit: Difficultates non quidem plane tolluntur, minuuntur tamen, si, quod verisimile est, statuamus, eam, quam Matthæus habet genealogiam, esse *Josephi*, quam Lucas, *Mariæ*. A Matthæo recenseri genealogiam Josephi a Salomone ducentis genus, patet ex comm. 16. coll. 6. 7. Mariam vero genus duxisse ab alio filio Davidis, Nathano, discimus ex Luc. III. 31. qui præterea citat pro hac sententia Vethusenium, et Paulusium, quibus addi potest Kuinoel proleg. §. 4. qui plures alios recenset, siquidem est hæc sententia apud ipsos communis. Plura tamen vetant quominus hanc sententiam admittamus, atque probemus.

(b) Cf. Maldonatum Com. in S. Matth. c. I. v. 16. ubi fuse de hoc argumento disserit; vid. etiam dissertationes duas de *genealogia Jesu Christi* Jo. Jac. Hottingeri in novo thesauro theol. philologic. sive *sylloge* dissertt. Lugd. Batav. 1752. tom. II. p. 73. seqq. in quibus confirmatur sententia de duplici genealogia Josephi et Mariæ.

(c) Apud Euseb. lib. VI. c. XIV.

(d) Lib. III. c. XXIV.

(e) De viris illustrib. c. IX.

(f) Hæres. LI. n. 19.

Verbi a Joanne prædicata, de Jesu ac futura corporum resurrectione, de extremo judicio, toties a Christo inculcatis, et non solum a reliquis tribus Evangelistis sed et a Joanne, a Paulo, ac reliquis apostolis omnibus prædicatis (a).

Ad 4. D. Id est, prout vulgo putabatur, C. reipsa N. Nondum enim divina Christi missione comprobata, imprudenter omnino ejusmodi mysterium patefactum fuisset, cui nemo fidem adhibuisset. Adeo stolidi sunt rationalistæ, dum hæc effutunt! Sic præpostera fuisset, neque opportuna hujus rei manifestatio Jo. VII. 27.; non obscure tamen veritatem hanc innuit, dum v. 28. et seqq. divinam suam originem Judæis Christus inculcavit ostendendo reipsa eos nescivisse unde esset, ut illi fidenter asserebant. Dum vero Paulus ex semine David secundum carnem, Christum natum affirmat, perinde est ac si diceret ex stirpe David, et hoc necesse erat ut adimpleretur id quod Deus Patriarchis et Davidi promiserat, nasciturum Messiam ex eorum semine. Aliud porro est dicere de semine David, aliud vero de semine Josephi; Beata enim Virgo ex semine David orta est, cum vero ex ejus sanguine Spiritus Sancti virtute Christi corpus efformatum sit, hinc Christus filius David est, non autem Joseph: quod perpetuo innuit Apostolus toties repetens Christum factum ex muliere.

Ad 5. D. Id est cognati seu propinqui, C. fratres uterini N. Hujus rei vadem habemus totam antiquitatem (b), quod et usus loquendi biblicus ostendit (c). Mendacem porro jam tertio se prodit adversarius noster dum addit comite ipsa matre Christi propinquos eum ut insanum prehendere voluisse. Nam in primo loco, nempe Marci III. 21. de matre ne verbum quidem, sed erant fratres illi de quibus refert Joannes I. c. quod in Jesum non crederent; v. autem 51. « Et veniunt, inquit, mater ejus et fratres; et foris stantes miserunt ad eum vocantes eum ». Quod quidem est factum a primo omnino diversum (d).

Ad 6. D. Sensu materiali, C. spirituali N. Nam Angelus non opinionibus vulgi, sed spiritui seu vero sensui scripturarum effata sua accommodavit, qui sub verborum cortice latebat, prout Christus patefecit, et eventus ostendit, ac nos suo loco probavimus. Quid autem hoc commune habeat cum consilio adversarii, ostendendi Jesum Christum filium Josephi esse, non video: nisi fortasse ut proderet se non meliorem exegetam esse quam criticum.

(a) Cf. Tract. de Deo creat. n. 849. seqq.

(b) Cf. Maldon. in c. XII. evang. Matth. v. 46.

(c) Ibidem, innumeris prope allatis exemplis ostendit idem Auctor talem esse receptum in scripturis loquendi usum.

(d) Imo nec desunt qui contendat illud quod refert s. Marcus III. 21. « et cum audissent sui (gr. ἑ παρ' αὐτοῦ, id est, ii qui ab ipso erant seu qui ad eum pertinebant) exierunt tenere eum: dicebant enim: quoniam in furorem versus est », non de propinquis Christi esse intelligendum, sed accipiendum impersonaliter: fama erat, dicebant homines etc. Alii illud: dicebant referunt ad pharisæos. Cf. Rosenmüller ad h. l.

Ad 7. Neg. historix luce illas narrationes collustratas quidpiam efficere pro adversarii thesi. Quid enim si Cerinthus, Carpocrates, ebionitæ aliaque obscuræ, contemptæ et profligatæ ejusmodi pestes hæreticorum quos Joannes Evangelista perstringit (a), Christum filium Joseph autumarunt? Vere testes dignos se adversarius appellat. Non magis illorum perditorum hominum impietas officit veritati, ac officiant rationalistæ, dum falsitatis arguunt Evangelistas, Apostolos et Christum.

Tantum denique abest, ut vulgata opinio apud gentes de hominibus cælesti natura progenitis causæ obsit quam tuemur, ut rem nostram mirifice confirmet, quod ex dictis apertissime constat. Omnium enim ejusmodi opinionum originaria seu primigenia idea in vera religione reperitur, quam postea suis commentis gentes plus minus depravarunt, ut in aliis similibus casibus factum esse animadvertimus (b). Ex his patet quid sentiendum sit de conclusione istius rationalistæ, qui nempe se pessimum criticum, exegetam et historicum præbet sacramque scripturam ut mythographiam traducit; nec operæ pretium est diutius in hisce commentis refellendis immorari.

Inst. 1. Repugnat tamen Mariæ virginitati quod legitur Luc. II. 22. « Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus... sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur, » Quare 2. Apostolus Gal. IV. 4. dicit Christum factum ex muliere. Ergo.

R. Ad 1. N. Sola enim prudenti œconomia B. Virgo se purificationis legi ultro subjecit, quemadmodum et Christus subjecerat se legi circumcisionis, cum neuter ejusmodi legibus teneretur, quod ex admirabili conceptionis modo hucusque vindicato abunde constat. Recitans autem Evangelista verba legis, non insinuat Christum nativitate sua vere matris vulvam adaperuisse, sed solum fecunditatem Beatæ Virginis ortu suo ostendisse, prout phrasis illa primogeniti ei accommodata ex usu biblico accipitur, ac veteres exposuerunt (c).

Ad 2. D. Dicit Apostolus Christum factum ex muliere denotando sexum, C. Conditionem N. Nempe docet ibi Filium Dei qui est ab æterno, factum esse ex substantia mulieris ab eaque natum secundum humanitatem in tempore; propterea hoc ipso ostendit mulierem illam, ex cujus substantia factus est Christus secundum carnem, virginem fuisse, alioquin dixisset factum ex viri semine (d).

(a) Cf. Hieronym. I. c.

(b) Tract. de Deo creat. p. III. c. II. prop. II. diffie. et alibi.—Hæc scilicet fraus est rationalistarum, quod biblicas narrationes ad paganam mythologiam referant, ut ex hac illas exponant, cum e converso paganam mythologiam ad scripturam quæ illis anterior est, exigere deberent, ut constanter apologetæ religionis christianæ adversus philosophos disputantes sese gesserunt, eos adigentes ut faterentur nullum mythum esse in pagana religione, qui originem non habuerit ex sacris literis atque ex primæva traditione, neque aliud esse eorum mythos nisi corruptionem veritatis.

(c) Cf. Maldon. Comment. in Luc. II. 22. seqq.

(d) Cf. Bernard. a Piconio Tripl. expos. in h. l.

Reliquas difficultates, quæ peti solent vel ex voce *Primogeniti*, vel ex Matth. I. 25. ut pote ad præsentem thesim non spectantes, missas facimus.

CAPUT III.

De utriusque Christi naturæ hypostatica conjunctione.

Christum verum Deum ac verum hominem esse, seu in Christo tum divinam tum humanam naturam integram atque perfectam iuisse ostendimus. Quia autem ratione ambe naturæ simul consistent atque conjunctæ sint inquirendum superest ad catholica veritatis normam.

Qui alterutram in Christo negant naturam hoc ipso omnem prorsus proprie dictam conjunctionem ejusmodi naturarum eliminant ac funditus mysterium Incarnationis evertunt. Verum non minus idem mysterium labefactant qui, utraque in Christo admissa natura, non nisi accidentalem aut moralem inter utramque naturam unionem interessisse contendunt. Doctrina igitur Ecclesiæ catholicæ est, hypostaticam seu personalem et substantialem in Christo intercedere utriusque naturæ conjunctionem, in qua sola integrum Incarnationis mysterium consistere potest, et in hoc conjunctionis modo nucleus, ut ita dicam, seu ratio formalis ejusdem mysterii continetur.

Quandoquidem vero ex germana unionis hypostaticæ notione maxime pendet dicendorum intelligentia, juverit ejusdem præmittere definitionem eamque per partes, majori qua fieri poterit perspicuitate, explanare et præcipua consecutaria deducere.

Est igitur unio sive unio hypostatica conjunctio illa, qua duæ naturæ divina et humana integræ, inconfusæ, impermixtæ ac suis proprietatibus et operationibus præditæ in se permanentes, subsistunt in una divini Verbi persona.

Ex hac porro definitione I. patet ejusmodi conjunctionem duarum naturarum factam esse, saltem immediate, in persona, qua fit ut una eademque sit amborum naturarum subsistentia et personalitas sive ratio suppositi, ac propterea hypostaticæ seu personalis unionis nomen sortita sit (a). II. Cum hypostasis seu persona divini Verbi jam extiterit ante unionem seu assumptionem humanæ naturæ, patet humanam naturam non concurrere tanquam partem ad constituendam personam, prout personæ nomen formaliter ut aiunt, accipitur (quæ simplicissima est), sed eatenus, peracta incarnatione, composita persona dicitur, quatenus totum suppositum quod est Christus ex utraque natura coalescit (b), atque idcirco prout materialiter persona sumitur. III. Cum non nisi ratione ejusdem subsistentiæ Divina et humana natura unum sint, patet subsistentiam sive personam Verbi non esse respectu humanitatis instar subjecti quod humanitatem sustentet velut accidens, sed instar termini, quatenus ejusmodi conjunctio in unam subsistentiam ac personam desinit (c). IV. Cum subsistentia humanæ Christi natu-

ræ eadem sit ac subsistentia Verbi, constat ejusmodi humanam naturam factam esse propriam personam Verbi, quæ, peracta Incarnatione, cœpit operari per hanc humanitatem et in assumpta humanitate eadem ratione ac ante Incarnationem, vel etiam ea peracta, distincte operata est vel operatur prout est principium quod, ut loquuntur scholæ, in divina natura; utraque porro natura in persona Verbi subsistens operatur seu exerit proprios actus realiter distinctos ut principium quo, ut vocant. Peracta enim Incarnatione, realiter semper inter se ab invicem distinctæ sunt ejusmodi naturæ. V. Cum igitur inter subsistentiam et naturam in concreto tam arcta conjunctio intercedat, ut non nisi ratione, seu cogitatione altera ab altera distinguatur, inde fit ut natura in sua existentia pendeat a subsistentia a qua terminatur, ac regitur. Hinc nec ante nec post Incarnationem vel uno temporis instanti supponi aut concipi potest humanitas Christi existens nisi in persona Verbi. Si enim seorsim hæc humanitas ab ejusmodi subsistentia aut persona spectetur, jam non esset amplius humanitas Christi, id est Verbi incarnati, sed mera abstractio, seu ens rationis (a). VI. Cum hæc conjunctio facta sit immediate in persona, ut diximus, non autem in naturis, sequitur has naturas realiter inter se distinguere, quarum unaquæque naturales suas proprietates retinet ac proprias operationes et actus uniuscujusque proprios; cum tamen ex dictis, natura non nisi ratione ac virtualiter distinguatur a persona, sequitur mediate factam esse conjunctionem inter naturas. Hinc hæc unio sub hoc respectu physica et substantialis pariter appellatur (b).

Atque hæc de unionis hypostaticæ notione innuisse ad rem nostram sufficit. Reliqua pro opportunitate attingemus. Interea ex dictis inferimus, unicam in Christo esse personam eamque divinam; hanc personam subsistentem in duabus naturis, seu Christum Deum-hominem esse Filium Dei naturalem; post duarum naturarum unionem duas integras, perfectas, atque impermixtas permansisse naturas inter se realiter distinctas; unamquamque propterea naturam suas conservare proprietates naturales suasque operationes. Singulis his veritatibus fidei nostræ vindicandis opera in hoc capite inpendenda nobis erit. Quod ut facilius assequamur, rem totam in suos articulos dispertiemur, in quibus singulorum hæreticorum commenta veritati hactenus expositæ adversantia refellemus.

ARTICULUS I.

De unica Christi persona.

Nestorius Germanicæ Syriæ oppidulo ortus prius monachus antiochenus et presbyter, Theodori autem Mopsuesteni discipulus an. 428. episcopus constantinopolitanus renunciatus, vix in ea sede confirmatus est ut haustam a Theodoro hæresin disseminare cœperit. Primum vero vocem *Θεοτόκος* sive *Θείπαρα*

(a) Ib. lib. XII. c. IV. §. 6.

(b) Ib. l. III. c. IV. §. 47.

(a) Cf. Petav. de Incarn. l. III. c. IV. §. II. seqq.

(b) Ib. c. XII. §. 4. seq.

(c) Ibid. c. III. §. 16.